Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 19

Quelle:
Copyright:

ſunt qui teſtimonium dant in celo, Pater verbum et ſpiritus ſanctus, et hij tres vnum ſunt, Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus aqua et ſangwis. Ad calcem accedit vulgatus ille Nomenclator hebraeograecus, et p. *ult.* legitur: *Iſte liber eſt Conuentus Noueciuitatis ordinis fratrum predicatorum, qui teſtatus eſt per venerabilem dominum pie recordationis dominum leonardum quondam Altariſtam altaris Sancti Spiritus in eccleſia parrochiali aput nos ſepultus teſtatus eſt unum calicem optimum cum cruce et pacem argenteis, cuius anima deo viuat.* Idem brevius in Codicis fronte. Legatum igitur iſtud fundationem Epiſcopatus a. 1470. factam praeceſſit; Praedicatorum vero Conventus jam a. 1443. inde, ubi nunc Abbatia *Ciſtercienſis* eſt, in abolitum Virginum ejusdem ordinis Coenobium traductus tandem *Melch. Cleſelio* Epiſcopo penitus ſublatus eſt, Bonis illius Epiſcopatui adtributis, quae, ut videtur, etiam Libri ſecuti ſunt.

XII.

H. 1 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 363. f. per duas columnas charactere minuto, denſo, ſed nitido ſcriptus, minio diſtinctus et deauratis picturatisque Librorum initiis complectitur S. *Biblia* vulgatae Editionis cum Prologis *Hieronymianis* et notis Summariis ita, ut inchoentur ab *epiſtola ſancti ieronimi* (ſcriptum ieromini) *presbiteri ad paulinum de omnibus diuine hyſtorie libris*, et ſic deinceps; deeſt tamen Prologus in *Joſue*, idque in margine notatur. Libri V. T. ordine ſuo decurrunt. Capita in margine indicata ſunt. Libro II. *Paralip.* adtexta eſt *fol.* 116. p. 2. *Oratio Regis manaſſes.* Liber II. *Esdrae fol.* 119. p. 2. inſcribitur *Neemias*, cui ſuccedit *Esdrae* III. inſcriptus *Secundus.* Poſt *Job fol.* 143. repetitur ex *Hier.* Epiſtola ad *Paulin.* illa Particula: *Job quoque exemplar patientie* &c. cum monito: *Iſte prologus deberet poni in principio Job. Pſalmi* praenotantur: *liber hymnorum uel ſoliloquiorum prophete dauid de chriſto*, habentque titulos miniatos, ſed nullos numeros. Libri N. T. auſpicantur a *fol.* 261. *Evangeliſtas* excipiunt *Actus Apoſt.* Succedunt *Canonicae*, et poſt has primum *Paulinae* cum *Apocalypſi.* Finem facit prolixus ille Nomenclator hebr. et graecus. Quae in marginibus hujus Exempli notantur, triplicis generis ſunt: Quaedam a prima manu ſubplent omiſſa in Textu; ita I. *Joh.* c. 5. Textus habet: *Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra. Spiritus. aqua et ſanguis;* monetur vero poſt *dant* inſerendum: *in celo pater uerbum et ſpiritus ſanctus et hii tres unum ſunt, et tres ſunt qui teſtimonium dant.* Verba praeterea in textu ſequentia: *Et tres unum ſunt*, punctulis ſubnotantur. Alia explanatoria ſunt tardius adjecta, et haec quidem ad *Matthaeum* frequentiſſima. Alia demum *παρεργα*; ita *fol.* 304. monetur: